

Badische Landesbibliothek Karlsruhe


Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

De divinae providentiae vestigiis in traditae Augustanae confessionis negotio

Crell, Heinrich Christian

Francofurti ad Viadrum, 1730

[urn:nbn:de:bsz:31-67545](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:bsz:31-67545)



80A 8946 2

Handwritten scribble

KSIFCARNI
K. S. I. F. C. A. R. N. I.

11.

Rf

ST

af. 39

7/134


Theol. 535

Histor.

3. 16.
2. 16.

6.

Histor.



Conspectus
Dissertationum ad histo-
riam Lutheri, refor-
mationis, A. S. C. et
Ecclesiae Luther.
spectantium.

1. M. I. A. W. de Lutheri o-
mnia in omnibus
2. Dauhawen Memoria Thau-
massandi Lutheri.
3. Valentini Alberti, de virtute
heretica, Lutheri, Matthiae Fla-
cii et Jacobi Andreae.
4. Scharfii, Joh. Lutherus re-
formator.
5. C. T. Kangovis editio Pontifi-
cis Rom. Leonis X. litterae in-
dulgentiarum.
6. Danielis Graeneri in natalibus
memoriam Lutheri oratio, qua-

lexam annuali sit papa romanus.
7. loh. Wencesl. deus Lutherus
cum sole comparatus.

8. Professio Wysbague in Christo
deus, Professio, J. Martini

Lutherus ^{praeter intentionem adhaeret}
loh. Baldhaf. Bernhold de cha. ⁱⁿ ¹⁶¹⁹

factenbar pseudopropheta nuy
in Martino Lutheri miratae
omnium obavit.

10. Laurentii Rhodmanni oratio
de praecipuis dei beneficiis a
deo per VII. Saxoniae Electores
et J. Martin. Lutherum et J.
Philipp. Melancthonem in aca-
demiam Witeberg. collata.


11. loh. Fr. Mayer, utrum B. Lu-
therus Philippo Landgravo
bigauriam concesserit.

12. Joh. Andr. Jarzii, pro lu-
thero ex accisionem styli re-
prehensio.
13. Pauli Jacobi Eckhardi Vindi-
ciae J. Lutheri et J. Melanch-
thonis ab infami peritura.
14. Martin. Lutheri aliquot nomi-
na propria germanorum.
15. Nicol. Leptevici oratio histo-
rica de initio, causis et pro-
gressu C. A. et de vita ac
laboribus, J. Mart. Lutheri, po-
stremae aetatis Eliae.
16. Gottlieb Wernsdorffii, Augusti-
nae confessionis historia.
17. Joh. Balthaf. Bernhold de fi-
dei formulae praecipue A.
C. iustitia et usu.
18. Alb. Georg. Schwartzii de stylo
A. Conf.

19. Io. Christ. Guesz filii de Au-
gustana confessione Pabli dot-
Sicii, medici Halensis cura grae-
ce reddita.
20. Io. Wilhelm. Loeperi, de aucto-
ritate A. C.
21. M. Henr. Christ. Crellii de di-
vinae providentiae vestigiis
in scripturae A. Conf. negotio.
22. Erasm. Parthol. Egerland
de Regulari summi numeris
circa A. C. providentia.
23. Andr. Westphalii de duabus
Ponderatione pro studio servatae
A. C. etc.
24. Acad. Francos. Latina se-
culana in A. C.
25. Geshardi Fitzii, vindictae A. C.
26. etud. Vindictae Lutheranae.
27. M. Andr. Caroli de Religio-
ne Lutherana.

28. C. Trib. Kangis, ecclesiam
 Lutheranam non schismaticam
 esse.
29. Leveni Lintrupii Anglia
 plantavit modis lutheranizans.
30. eiusd. sub Heib. Gottfr. Nassio
 Gallia multis modis luthera-
 nizans.
31. Joh. Kalckmanni proreca refor-
 mationis lutheranae tuba de
 perpetuo christianorum iubi-
 latio. Additus est catalogus
 doctorum et professorum theo-
 logiae in academia Witteber-
 gensi.

F r a n c.



DE *XXI.*
DIVINAE PROVIDENTIAE
VESTIGII IN TRADITAE
AVGVSTANAE CONFESSIONIS
NEGOTIO DEPREHENSIS
DISSERIT

ET VI
VTRIVSQUE REIPUBLICAE PROCERES
SCHOLAE ANTISTITES ET PATRONI
OMNESQUE LITTERARVM FAVTORES
ACTVI ORATORIO
AD MEMORIAM
SECVNDI AVGVSTANAE CONFES-
SIONIS JVBILAEI
CONSECRANDAM
INSTITVTO

d. 27. JUNII A. R. S. MDCCXXX.
HORA IX.

FREQVENTES INTERSINT
HVMANISSIME INVITAT

M. HENR. CHRISTIANVS CRELLIVS,
SCHOLAE VIADRINAE RECTOR,

FRANCOVRTI ad VIADRVM,
Typis TOBIAE SCHWARTZII.

94

158

22an 88A 8946 R

v



§. I.

Magnam esse veritatis virtutem, eximi-
umque decus, quo mortalium pectora per-
cellantur, & occulta quadam necessitate
in eius trahantur assensum, nemo inficia-
bitur, nisi stipes stuporque sit, & omni hu-
manitatis sensu deposito vel ad Solis splen-
didissimum jubar cæcutiat. Est enim hæc
sapientissimi Conditoris benignitas, ut, cum vagos in hac vitæ
scena circumferri, & suæ libidinis impetu impotentes agitari
mortales nolit, sed normam sequi, dicto audientes esse, &
ad suæ voluntatis arbitrium compositos cupiat, quendam ve-
ritatis sensum, natura ipsa quasi propinante, nobis instillaverit,
qui arcano stimulo ad eam solícite indagandam, ad inda-
gatæ curatiorem culturam, studiumque, humana ingenia im-
pellit. Cujus gustu cum demum imbuta mens, intimioriq;
ejus perfusa est cognitione, tam teneros sui gignit amores,
& tam blandis igniculis altius conceptis ingenuos sui cul-
tores inflammat, ut præstantiæ hujus conscii, ad alios ejus
notitiam cupidi transferant, ingenua professione ubique
commendent, & contra osores & ἐμπύκτας mascula defen-
sione tueantur.

Χ3

§. II.

§. II.

Si antiquorum Philosophorum sectas animo repetimus, quanto nisu, quanta contentione & studiis eas, quas altius investigando eruerant, veritates aliis tradiderunt & ad posterorum memoriam voce scriptisque transmiserunt, propugnarunt? adeo ut vel summi discriminis aleam subire, fortunarum omnium, imo vitæ ipsius jacturam pati, quam deferere intellectæ veritatis sacra, maluerint. Si vero demum primitivæ Christianorum Ecclesiæ faciem contemplantur, tanto animosiores divinæ veritatis martyres deprehendimus, quanto fortiora sunt præsidia, & munimenta, quibus suos instruit confessores sanctior religio. Quanta in illa ætate testium nubes oculis offunditur? qui sub Ethnicorum Imperatorum tyrannide dirissimas magno animo sustinuerunt insectationes, libentes pronique collum securi subjecerunt, sanguinem, vitam, spiritumque divina *παρρησία* profuderunt, ut ingenue modo Christianorum dogmatum profiteri divinitatem, & extremo saltem halitu testari liceret, quod, si vel lapsus illabatur orbis, impavidos feriant ruinæ.

§. III.

Eadem animi magnitudo, & imperterrita indoles animavit *Illustres Confessores* nostros, qui jam abhinc ante *ducentos annos Augusta Vindelicorum in solemnibus Imperii Comitibus CAROLO V. Imperatori suæ fidei, & quæ de summis religionis momentis ex S. Scriptura hauserant, dogmatum masculam confessionem ediderunt. Cuius rei memoria cum felicissimo fidere, post alterius seculi auspiciatissimum decursum denuo hoc tempore restauretur, & per omnes, quæqua patet, Evangelicæ Ecclesiæ cætus piis consecretur plausibus, nostræ erit pietatis, & Scholam hoc in Deum gratisimi animi defungi officio, & argumentum meditari, quod tantæ rei dignitati vel ex parte respondeat. Quod omnium consultissime assequi videmur, si illius temporis, quo tradita fuit Augustana Confessio, rationes, divinæque providentiæ in*
tanto

tanto opere luculentissimis comprobata documentis vestigia rudi quamvis penicillo adumbremus.

§. IV.

Pressa scilicet adhuc durissimo Pontificiorum jugo Christi Ecclesia dudum jam Evangelii libertatem anxiiis desideriiis suspiraverat, frustra de clericorum affectato dominatu, doctrinae morumque corruptelis conquesta. Sed nemo tantis malis mederi, in tanta Pontificis, ex qua tum pendebant omnia, auctoritate audebat; usque dum augustæ indolis vir MARTINUS LUTHERUS tam arduo negotio non sine summi discriminis alea defungeretur. Ille enim incredibili Indulgentiarum protervitate, qua tum omnis Germania fere inundabatur, offensus, primo contra *Tozelium* in Vitebergensis Academiae vicinia vase nundinantem insurrexit; expositis A. 1517. d. 31. Octob. publico conflictui thesibus, quibus vendendæ nummis peccatorum veniæ iniquitatem plenus divini ardoris impugnabat. Quanti inde animorum motus ubique excitati, quantaque Pontificiorum indignatione ingenua LUTHERI nostri studia excepta fuerint, ex eo satis liquet, quod illum Romanæ sedis Præsul Leo X. A. 1518. Romam accersendum curaverit, oblata simul impendenda itineri pecunia, quo in ipsa herba tantos exstingveret conatus, & Monachum ad obsequium redigeret.

§. V.

Sed Deo ita providente, FRIDERICUS SAPIENS, Saxoniæ Elector frustra multis & precibus & minis sollicitatus, illud Lutheri iter declinabat. Proinde *Cajetano* Purpurato hanc demandabat provinciam Pontifex, ut *Lutherum Augustam Vindelico- rum* advocatum excitatarum, quas putabant, turbarum rationes reddere juberet, omneque negotium componeret. *Lutherus* Dei causæ, quam agebat, confusus ad veritatis documenta edenda promptus sine comite, nullo fidei publicæ instructus præsidio Augustam tendebat; ubi cum multa a Cajetano tentata fuissent, nullisque pollicitationibus ad palinodiam

adduci se noster pateretur, omnem animum purpuratus despondens re infecta Romam revertebatur. Neque vero, cum animi *Luthero* indies crescerent, & nulla re secti ad Pontificis obsequia posset, aliud supererat consilii, quam ut fulmine Papali ictus Hæretici invisio stigmatè notaretur. Ultima tandem tentaturus *Carolus V. Maximiliano. I.* modo susceptus A. 1521. ad comitia Wormatiensia eum arcescit, ubi in Imperatoris omniumque Imperii Principum conspectu tam apostolica virtute professus est veritatem, ut, maximopere licet indignante Carolo, ne latum se ab ea unguem discedere posse constanter confirmaret, nisi ex S. litteris meliora doceretur. His vero armis tum non pugnabatur; sed quæ solemnes sunt Pontificiis artes, brachium seculare ad tuenda & amplificanda Ecclesiæ pomœria in subsidium vocabatur. Quare proscriptionis publicæ pœna capistrum demum immorigero, ut caussabantur, homini, injiciendum esse Imperator judicabat, quo ipso extorris quasi exsulque omnium, qui vel Caroli vel Pontificis gratiam initari erant, insultibus exponebatur. Neque his frangebatur heroica *Megalandri* constantia, qui inter medias turbas, negotiique difficultates, futuros tandem divini operis feliciores successus plenus augustæ spei & in Deo fiduciæ prospiciebat; semperque meminerat hæc fata Christi Ecclesiæ fuisse, ut sub infestissimis calamitatibus, rectorumque consiliorum impedimentis maxima ceperit incrementa. Jubebat quidem ipsa necessitas *Lutherum* jam per aliquod tempus in Arce *Wartburgensi* prope Isenacum sita, tanquam in Pathmo sua delitescere, quo ipsum pientissimus Saxonix Elector, ut contra maleficatorum impetus tutum præstaret, abire jusserat; nihilo tamen minus in religionis repurgandæ negotio occupatissimus erat, cum litteris sacris in Germanicum idioma transferendis totus ibi vacaret, quod ipsum melius formandæ Ecclesiæ aptissimum imo unicum erat adjumentum.

§. VI.

Interea latius evangelium diffundebatur, & indies major tenebrarum, quibus immerfa fuerat adhuc Germania, dispellendarum spes affulgebat, adeo ut restituta verbi divini lux jam per ultimas Germaniæ oras in ipsos Sarmatarum & totius Septentrionis fines propagaretur. Lividis hæc *Clemens VII.* oculis intuebatur, & Romanæ sedi multum inde metuebat. Quare averruncaturus tristia sibi omina denuo A. 1524. *Carolus V.* obstetricante *Campegio*, instigabat, ut proscriptionis decretum Wormatiense contra Lutherum fortius exsequeretur, neque sua in ab Imperii Ordinibus mitiora sentientibus auctoritatem eludi pateretur. Quod cum pro virili urgeret Imperator, Archidux *Ferdinandus* eius frater, *Salisburgensis* Archiepiscopus, & *Bavariæ* duces fœdere sibi invicem obstringebantur, quo Lutheranorum conatibus reprimendis conjuncta opera obviam irent. Sed Deus disjiciebat has quoque machinas tam affabre structas, cum paullo post *Carolo* fatis innotesceret Pontificis perfidia, qua cum Galliarum Rege aliisque Principibus contra Imperatorem fœderis clam cudendi consilia ceperat. Hinc A. 1526. FERDINANDUS aliique a Cæsare delegati *Spirensibus* Comitibus, quibus JOHANNES *Saxoniæ Elector*, *Friderico* Sapienti Fratri suffectus & *Hassiarum* Princeps PHILIPPUS intererant, id inprimis agebant, ut proxime concilium œcumenicum, quo tot in ecclesia christiana lites componerentur, vel totius imperii comitia, quibus *Carolus* ipse præfens præesset, instituerentur. Interea in rebus ad religionem spectantibus, a *Ferdinando* eius vicario libertas concedebatur, usque dum Imperator ex Hispania accederet, & omni negotio eius auctoritate finis imponeretur. Non vero diu hæc tranquillitatis usura Lutheranis integra servabatur, cum variis motibus A. 1528. ob doctrinæ dissensum exortis, res plane in aliam faciem commutaretur. Scilicet denuo SPIRÆ illustria comitia A. 1529. indicebantur, quibus imperii ordines Pontifici addicti omnia priori conventu promissa atque decreta retracta-

retractabant, & *Wormatiense* edictum exsequendum iterum urgebant, omnemque mutationem in rebus ecclesiasticis plane interdicebant. Cum vero hoc æquo animo ferre non possent Evangelici ordines, quod spes tandem obtinendæ concordia tam serio sibi confirmata rursus evanesceret, non poterant non huic decreto *Saxonie* Elector JOHANNES & PHILIPPUS *Hassie* Princeps aliique contradicere, & tam iniquæ comitorum sententiæ intercedere, quod nunc protestari dicunt, unde protestantium nomen illis inhæsit.

§. VII.

Ista Principum Evangelicorum animosa constantia tandem Imperatori justam excitabat suspicionem, fore, ut ima summis in Imperio miscerentur, nisi mature prospiceret, & tantis Ordinum simultatibus, imo dissidiis medicam manum adhiberet. Hinc itineri in Germaniam suscipiendo accingebatur *Carolus V.* cum *Bononia* eo tempore a Pontifice coronam accepisset, ipsique conceptis verbis jurasset, se perpetuum fore Pontificiæ dignitatis defensore. Quam infausta consilia & quam alienos a Protestantibus animos tum Imperatori inspiraverit Pontifex, facile ex eo augurari licet, quod ex hoc momento suam in Germania auctoritatem, maleque usurpati diurnitatem dominatus pendere, probe intelligebat. Hoc sane Pontifici in ipsius negotii initio dabat Imperator, ut concilii œcumenici convocandi consilium statim abjiceret, cum ab eo Romanæ sedis Præsul suæ causæ diffusus totus abhorreret, res religionis in controversiam vocari, nefas existimans, cum igni ferroque docendi sint, qui hiscere contra ejus effata auderent. Quare litteris per omnem Germaniam missis, tot precibus votisque expetita COMITIA AUGUSTÆ VINDELICORUM A: MDXXX. celebranda indicebat Imperator, omnibusque Evangelicis Principibus hoc vel inprimis demandabat officii, ut, quidquid huc usque dissensum a Romana doctrina pepererit, quibusque argumentis illum fulcirent, luculenta ratione, se præsentem, in totius Imperii confessu probarent.

§. VIII.

§. VIII.

Huic mandato tanta cupiditate Evangelici Principes obsequebantur, ut singuli mature, suis Theologis adhibitis, de concinnanda doctrinæ suæ sciagraphia cogitarent. In primis JOHANNES Saxonix Elector, divinæ Constantix Princeps, *Luthero, Jona, Pommerano, & Melanchthoni* hoc imponebat negotii, ut curatius pensitatis fidei momentis, scripto sibi exhiberent, quæ edendæ ingenuæ confessioni sufficere possent. Quod cum Lutherus 17. articulis conceptis præstitisset, JOHANNES Elector ipse *Augustam Vindelicorum*, multi quamvis ipsi bene cupientes hoc dissuaderent, causa divina confusus, magno animo tendebat, *Luthero Coburgi* in arce relicto, ut securitati ejus prospiceret. Reliqui etiam Protestantium ordines GEORGIUS Marchio Brandenburgensis, ERNESTUS Dux Brunsvicensis, PHILIPPUS Hassiæ Landgravius, WOLFFGANGUS Princeps Anhaltinus, JOHANNES FRIDERICUS, Saxonix Electoris filius, reliquique civitatum legati frequentes *Augustæ* conveniebant, augusto hoc consilio muniti, ut conjunctis viribus, unanimique consensu veritatem profiterentur. Cum ergo singulorum Principum Theologi, *Augustæ* mutuis agitata consiliis, 17. Articulis, quorum jam mentionem fecimus, fundamenti loco positis, illud tandem Schediasma, quod *Augustanæ Confessionis* nomine postea venit, MELANCHTHONI stilum commodante, ad umbilicum perduxissent, & cum *Luthero Coburgi* hærente communicassent; exoptata tandem illa XXV. Junii dies illucescebat, qua propitio Numine, ringentibus Pontificiis, Protestantium confessio in comitiis publicis prælegebatur. Quam invidis oculis hoc Protestantium expletum desiderium acceperint Pontificii Principes, qui masculum veritatis testimonium auribus vel inviti imbibere cogebantur, eo facilius intellectu est, quo minus hoc ipsum Romanæ sedis Præsuli placere posse, constabat. Hinc quantis studiis poterant, hujus confessionis acriorem compilabant confutationem, cujus tamen

)(

itidem

itidem in confessu prælectæ copiam facere nostris nolebant. Quare ea saltem, quæ auribus ceperat, aut scribarum velocitate calamo excepta fuerant, MELANCHTHON concinnata apologia tum redarguebat. Hoc sane Evangelici Ordines his publicis comitiis adsecuti sunt, ut infamia exsecrabilium errorum, quos adversarii ipsis adhuc, nullo veritatis suffragio imputaverant, publice liberarentur, ipseque Imperator mitiorem de nostratibus sententiam animo conciperet, adeo, ut sensim liberius religionis exercitium Protestantibus concederet. Sed ea uberius jam explicare nostri instituti non est. Totum potius animum divinis laudibus jam destinamus, cum his *ducentis annis* facta tecta que nobis puriora sacra conservaverit benignissimus summusque Ecclesiæ arbiter.

Scilicet nostrum jam erit, & in Lyceo nostro tanti negotii, quod nobis veræ Christianæ libertatis usuram primo indulgit, memoriam pia mente recolere. Quod ut rite fiat, *Actum Oratorium instituiamus, in quo ipse Prologi vices sustinebo*, & quantum nobis argumentorum sit, cur hoc Jubilæum summa pietate celebremus, breviter enarrabo. *Coronidem* actui imponet Vir Plur. Rever.

DN. M. CHRIST. FRID. ECCIUS,

Pastor Arensdorfenfis,

qui utilitatem ex Reformatione ad Scholas redundantem exponet, Scholæque nostræ, in qua fere per biennium Sub-Rectoris Spartam multa cum laude ornavit, dicet ultimum Vale. Medium actum administrabunt ex nostræ disciplinæ alumnis aliquot optimæ spei juvenes: ex quibus primo prodibit

JOHANNES GOTTLIEB BAYERUS,

Tucheband. March.

qui Protestantium nomine ficta oratione latina CAROLO V. in comitiis Augustanis, religionis negotium commendabit, confessionis prælegendæ veniam exoraturus. Tum

CHRI-

❁ (I F) ❁
CHRIST. FRIDER. OHNESORGE,

Francof.

Germanico Poëmate differet, in quo lætitiæ Evangelicæ argumentum hoc tempore versetur. Hunc excipiet

SAMUEL CHRIST. DITERICH,

Berolinens.

Plurimum Rev. Parentis filius æmulus, præcipua vitæ Lutheri momenta Latino sermone enarraturus. Postea

GOTTFRIED OHM,

Francof.

de Philippi Melanchthonis meritis latine perorabit, Scholæ dicturus Vale. Quibus succedent

GOTTLIEB OHM,

Francof.

&

HEINRICH LEIDEMIT,


Halenf.

dialogo Germanico de Augustanæ Confessionis memoria collocuturi. Tandem brevi Oratione Latina

JOH. GEORGIUS HEYDENREICH,

Francof.

Auditoribus Spectatissimis gratias aget, Scholamque eorum favori commendabit. Cui Scholæ Nostræ pietati, ut UTRIUSQUE REIPUBLICÆ PROCERES, SCHOLÆ ANTISTITES & PATRONI, OMNESQUE LITTERARUM FAUTORES d. XXVII. Junii post hor. 9. in Auditorio Scholastico, sua honorifica præsentia splendorem conciliare non dedignentur, omni animi submissione contendimus. Dabam Francofurti ad Viadrum MDCCXXX. d. 24. Junii



Handwritten text, likely bleed-through from the reverse side of the page. The text is mirrored and includes names such as "GOTTFRID SCHMIDT" and "GOTTFRID SCHMIDT".

Handwritten marks or numbers at the bottom of the page, possibly a page number or a reference mark.

CANTATA
Welche man
Bey dem
ACTV ORATORIO,
Der zum Andencken
Des andern Jubilæi
Der
Nugsburgischen Confession
In der
Frankfurthbischen Stadt - Schule
Am 27. Junii 1730.
Gehalten wurde,
Abgesungen.



ARIA.

Auff, und singt mit vollen Chören,
Stimmt ein frohes Jubel an,
Was der HErr an uns gethan
Wird man leicht nicht wieder hören,
GOTT macht selbst den Feind zu Spott,
Seht! wie wundervoll ist GOTT!

Recitat.

Zu wohl, ganz offenbahr
Erkennt man eine Wunder-Krafft,
Wenn wieder alles Wüten
GOTT dennoch Hülffe schafft.
Dis sieht man klahr,
Zu hátt uns GOTT nicht wollen hüten;
Wir Schaaffe wären schon
Zerstreuet.
Nein, unser Hirt, GOTT selbst auf seinem Thron
(Jetzt sinds zwey hundert Jahr!)
Hat uns mit treuer Huth erfreuet.

ARIA.

Ben nur Gottes Güte leitet,
Der ist frey von aller Noth.
Dräut uns gleich ein Wolff den Todt;
GOTT ist, der stets für uns streitet.
Will uns Gottes Huld bewachen,
Laßt uns Feind und Wuth verlachen.

148

* * * * *

Laßt beherzt die Freude spühren,
 Die der Herr in uns erregt.
 Wenn uns dieses nicht bewegt,
 Was vermag uns wohl zu rühren?
 Wahrlich, unser Heyl und Glücke
 Hat nun eine feste Brücke.

Recitat.

Wohl recht, den Bau hat GOTT regieret /
 Wie? solte sie nicht feste stehn?
 Wohlan, so laßt uns weiter sehn /
 Wen GOTT dazu gebrauchet hat /
 Wer diese Brücke glücklich aufgeföhret?
 GOTT führt zwar alles auf, jedoch auf solche Art /
 Dadurch die grosse Macht
 Noch herrlicher erhellt, wenn man sie recht betrachtt.
 Wir wären mehr verwahrt,
 Wies scheint, wenn GOTT uns durch ein mächtig Heer,
 Durch Waffen und durch Wehr,
 Daß / was uns widerstund, zu Boden lassen schlagen;
 Allein, ein Luther muß den Grund, Stein legen /
 Diß muß erregen,
 Daß mehr zu finden seyn /
 Die falsche Strauchel, Wege scheun,
 Sich sträuben,
 Und treiben
 Mit Macht den Bau zu solchen Ende /
 Daß man zu Augspurg sieht,
 Wie unser Glücke reichlich blüht,
 Und wie GOTT seine Sache wende.

ARIA.

O! ihr recht erwünschten Stunden,
 Die zwey=hundertmahl verschwunden /
Stellt

Stellt euch doch noch öfter ein,
Laßt die Nachwelt davon lesen,
Was vor Freude jezt gewesen,
Ihre mag noch grösser seyn!
Ja sie bleibe ungebunden! Da Capo.

* * * * *


GOTT selbst hat darüber Freude,
Wenn uns mitten in dem Leyde
Unsre Noth geringe scheint.
Denn ein so gerecht Vergnügen
Muß ja alles Leyd bestegen,
Wenn mans recht von Herzen meint.
GOTT führt uns auf frische Wende. Da Capo.

Recitat.

Noch eins, wir müssen GOTT ein schuldig Opfer bringen,
Ihm Lob und Dank in Andacht singen,
Weil seine Vater, Frau
Mit rechter mächtigen und starcken Hand,
Der schwachen Werkzeug Arbeit dergestalt gewandt,
Daß unser Glaube frey,
Von Menschen, Tand und Finsternuß geblieben.
Drum singt mit heissen Trieben:

ARIA.

GOTT sey gepriesen,
Der uns bewiesen,
Was seine Wohlthat
Von Glücke und Seegen
Auf uns weiß zu legen.
Er zeige noch ferner die Macht, so er hat!



Gilb

33833

1280-

Sammelband. 33 Schriften zur Reformationsgeschichte, darunter 10 die „Confessio Augustana“ betreffend. Altdorf, Frankfurt/O., Greifswald, Halle, Helmstedt, Jena, Jüterbog, Kopenhagen, Leipzig, Stargardt, Stettin, Wittenberg, zwischen 1592 u. 1731, 4to. Zus. ca. 1450 Ss. Mit einigen Holzschn. u. Druckermarken. HLdr. d. 18. Jh. (bestoß., Rück. läd.). 1280,—

Sehr interessanter Sammelband, meist Akademieschriften, zur Geschichte der Reformation, besonders zum „Augsburger Bekenntnis“, dessen 200jähriges Jubiläum eine große Anzahl von Würdigungen und Untersuchungen hervorgerufen hat. Zu den Autoren zählen A. C. Bauer, St. Besecenius, C. A. Bürger, Dan. Cramer, H. Ch. Crellius, P. Dolscius, G. Dünnebier, P. J. Eckhard, C. T. Rango, L. Rhodomanus, Nic. Selnecker u. v. a. Eine größere Zahl der Schriften sind sowohl Schottenloher als auch sogar Hammer (Melanchthonforschung) entgangen. — Bei 2 Schriften fehlt je 1 Blatt, teils gebräunt, einige alte Eintrag. — Genauere Angaben auf Wunsch möglich.

STMGRI

Lederriemen, Eichen, neu
Überapparat angebracht

4/187/10

